Innocentii PP. X: Breve de solvendis decimis per Regulares d. 21 feb. 1646.

BREVE
De ſolvendis Decimis per Regulares.

INNOCENTIUS PP. X.

Ad Futuram Rei Memoriam.



NUper pro parte Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum; & Epiſcoporum, nec non dilectorum Filiorum totius Cleri Regni Poloniæ, per dilectũ etiam Filium Matthæum Joannem Judicki Archidiaconum Pomeraniæ noncupatum in Eccleſia Vladiſlavienſi, ejuſdem Cleri in Curia Romana Agentem, quòd aliàs, & ſub die decima ſeptima Junij,

 Anni

Anni proximè præteriti MDCXXXXV.
ju Causa Decimarum ejusdem Regni
à Venerabilibus etiam Fratribus no-
ſtris S. R. E. Cardinalibus, Sacri Con-
cilij Tridentini Interpretibus, ema-
navit Decretum, quod nos subinde
sub die XXXI mensis Iulij, ejusdem An-
ni, in Consistorio nostro secreto ap-
probavimus, tenoris qui sequitur, vi-
delicet. *In causa Decimarum Regni Poloniæ*
die 17. Iunij, 1645. Sacra Congregatio Emi-
nentiss. Cardinalium, Concilij Tridentini Inter-
pretum, iterum atq; iterum, auditis Regulari-
bus, & præcipuè Patribus Soc: Iesu, eorumq;
Iuribus & Privilegijs maturè discussis, censuit,
ab eisdem Patribus & alijs Regularibus solven-
das esse Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Po-
loniæ Decimas, quæ solvebantur à Laicis, pri-
usquam Bona in ipsorum Patrum, & aliorũ
Regularium, proprietatem fuerunt translata;
firmis tamen remanentibus Transactionibus de-
super factis. Quod Decretum emana-

vit

vit prævia exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam Decreto postea cõsenserunt, prouti & Agens Cleri Regni-Poloniæ. Die verò 31. Julij, 1645. Sanctissimus Dominus Noster, Eminentissimo Cardinali Præfecto referente, in Consistorio approbavit. Cùm autem sicut eadem expositio subiungebat, exponentes præfati Decretum præinsertum, quo firmiùs subsistat, & exactiùs observetur. Apostolicæ nostræ Confirmationis patrocinio communiri summoperè desiderent. Idcircò nos eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis, à Jure vel ab Homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodoli-

 bet

bet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes. *Supplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretũ præinſertũ Apoſtolicâ Authoritate tenore præſentiũ confirmamus, & approbamus illiq; ininviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus & omnes ac ſingulos tàm Iuris quàm Facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerunt, ſupplemus, ſalvâ tamen ſemper Auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium, decernentes præſentes literas validas, firmas, & efficaces, exiſtere, & fore, ſuoſq; plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus & ſingulis quos illæ concernunt, inviolabiliter & inconcuſsè obſervari, ſicq; per quoſcunq; Iudices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis Authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.* Quocirca Dilecto Filio Noſtro,

ſtro, & Sedis Apoſtolicæ in eodem Regno pro tempore commoranti Nuncio, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcunq; ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte exponentium præfatorum, ſeu alicujus eorum deſuper requiſiti fuerint, ſolenniter publicatis, *eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens, faciat Authoritate Noſtra, illos præmiſſarum omniũ commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere.* Non permittentes illos deſuper à quoquam quavis Authoritate quomodolibet moleſtari. *Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per Cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna Iuris & Facti remedia, Appellatione poſtpoſita, compeſcendo, legitimiſq; ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, ſententias, Cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggra-*

vando

vando. Invocato etiam ad hoc, si fuerit opus, auxilio Brachij sæcularis. Non obstantibus quatenus opus sit felicis recor: Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis Authoritate præsentium in Iudicium non trahatur, alijsq; Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non ipsius Societatis, aliorumq; Regularium Ordinũ, etiam Juramento Cõfirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consvetudinibus, Privilegijs quoq; & Indultis, & literis Apostolicis, ipsi Societati, alijsq; Regularibus Ordinibus seu Institutis præfatis, illorumq; Domibus etiam Professis, Collegijs Monasterijs, & alijs locis Regularibus, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum qui-

bufvis

busvis etiam Derogatoriarũ Derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusq; & alijs Decretis in Genere, vel in Specie in contrarium præmissorũ quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. *Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illorum eorumq; totis tenoribus specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas Generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum omnium & singulorum tenores præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus: cæterisq; contrarijs quibuscunq;.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 21. Februarij, 1646. Pontificatus nostri Anno 2.

M. A. Maraldus.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0006940